

## FUNDAMENTVM A

an quasita basis sit  $BD$  an  $BG$ , & possum proponenti respondere ambigüe, inq̄, vtrambilibet partem: neq̄, mihi certè cõstat, num prosthapheresis, quæ est aut Triangulum internum  $ACD$ , aut ei ex structurâ æquale externum ( arcu scilicet normali extra Triangulum cadente)  $ACG$ , secundum paulò antè dicta præcepta sit addenda an demenda.


Verùm hoc Triangulum non semper: sed certis quibusdam conditionibus ambiguum esse potest, quarum prima ac præcipua hæc est:

Si dato angulo acuto oppositum latus datum minus sit dato latere ipsi dato angulo adiacente, Triangulum erit ambiguum: sin secus, minimè: quia tunc oppositum latus ob nimiam longitudinem in basin ambigüe incidere non potest.

Reliquas verò huius ambigui casus conditiones subtiliores, & quidem subtilissimas, vide in nostrâ Astronomiâ.

### XII. De posteriore Ambiguo, solisque sphericis proprio.

#### Diagramma ambigui secundi.



In adiuncto Diagrammate arcus  $BML$  &  $BNL$  sunt semiperiphæriæ. Angulus verò  $GAH$  æquatur Angulo  $IEK$ , ex structurâ. Ergo in hoc ambiguitatis casu iuxta dari oportet, num latus quærendum sit  $BA$ , minus: an  $BE$ , maius quadrante  $BM$ . Causa ambiguitatis satis liquido patet ex ipso Diagrammate. At q̄, hæc de quatuor intermedijs obliquangulis in genere: nec non de duobus ambiguis illorum in specie: sequitur & in specie de ultimo Obliquangulo.

### XIII. De obliquangulo ultimo.

Hactenus ostensa est, monstrata atq̄, indicata duplex plerorumq̄, obliquangulorum vulgaris solutionis via ac ratio: per duplicem videlicet Reduccionem obliquanguli ad duo Rectangula. Per diuisionem nempe arcus normalis seu perpendicularis, perq̄, continuationem arcuum amplitudinumq̄, angulorum more Rectangulorum. Sed superest adhuc, soluendumq̄, restat obliquangulorum Exemplum sextum ac vltimum, omniumq̄, maximè perplexum & reuerà